



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 524. Quinam nomine alieno solutionem recipere possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Romani esse deserint. Gail. *de pace publ. c. 12. n. 1.* Muller. *l. c.* quamvis ut hic citant *l. 55. ff. de cond. indeb. prædoni ex ejus contractu recte solvatur.* Item aliud dicendum ex speciali Juris dispositione. *l. 5. & 8. c. ad Leg. Jul. l. a. Majest.* ob atrocitatem hujus criminis de postulato reo criminis læsæ Majestatis. Lauterb. *l. c.* Stru. Muller. *ll. cit. lit. d.* notatque Muller. quòd, etsi aliàs in jure *ff. & Cod.* hoc nomen generale sit, denotant quemlibet reum læsæ Majestatis, in præsentem tamen materia sumatur in gradu quasi excellentiore, denotetque solum reum perduellionis. Requiritur autem, ut creditor non sit destitutus usu rationis, ut patet, habeatque administrationem suorum bonorum. Si quidem creditor non solum lucrum acquirit, sed simul obligationem sibi competentem remittere debet, ac proinde in eo requiritur potestas alienandi, quæ ei sine dicta administratione non competit. Lauterb. *ad tit. de solut. §. 13.* hinc pupilli sine tutoris, minores sine curatoris, si quem habent, auctoritate recipere solutionem cum effectu seu liberatione debitoris nequeunt. Muller. *cit. th. 71. lit. a.* Lauterb. *l. c.* Etsi autem solutione ipsis facta debitoris obligatio non extinguatur. *l. 15. ff. h. t.* Si tamen nummi accepti adhuc exstant apud pupillum, minorem, aut ex solutione factus est ditior, (sive si in utilitatem pupilli versi sunt, ita ut, si eos non accepisset, nummos alios suos in eundem finem impendere debuisset, ut Brunem. *ad l. 47. ff. h. t. n. 1.*) competat contra eum actio utilis. *l. 66. ff. h. t.* Muller. *l. c.* & debitor petentem debitum exceptione doli mali submovere potest. *cit. l. 15. & 47.* Lauterb. *l. c.* si verò, ut Idem, acceptum mala fide consumptum est, aut vi vel furto amissum, dicta exceptio non proderit, sed nihilominus condemnabitur; quia temerè ei sine tutoris auctoritate solvit. *§. 2. Inst. quib. alien. lic.* erit tamen securus debitor, si adsit sententia Judicis, quæ is præcipiat, ut sine curatore suo solutionem recipiat. *l. 7. §. 2. ff. de minor.* Muller. *l. c.* sed neque pupilli debitor per solutionem ipso jure liberatur, accedente sola auctoritate tutoris, sed insuper ex Justiniani constitutione requiritur, ut priùs judicialis sententia id permisit. *L. 25. c. de administ. tutor. & §. fin. Inst. quib. alien. lic.* Lauterb. *§. 14.* cum citatis à se Berlich. *p. 1. decis. 78. n. 2.* Carpz. *p. 2. c. 11. def. 45.* Excipi tamen solutionem reddituum, annuarum pensionum, usurarum similiumque causarum, modò non summam collectæ ex multis annis & centum solidorum quantitatem excedant, ita ut in iis illam subtilitatem, nimirum dictam permissionem Judicis necesse non sit observari, censent Lauterb. *§. 15.* Muller. *l. c.* citans *L. 25. & 27. c. de administ. tutor.* Porro quæ dicta hinc de minoribus, idem dicendum de mulieribus, ita ut, si illis absque consensu & auctoritate curatoris solvatur, debitor non liberatur. Unde etiam cautiore debitorum illis solvunt præsentem curatore, curantque dari sibi apocham seu quietantiam tam fœminæ quàm curatoris manu subscriptam & sigillo munitam, vel etiam publicum instrumentum super solutione facta confici. Muller. *l. c. lit. n.* citans Zanger. *de except. p. 3. c. 1. n. 102.* Berlich. *p. 2. com. 17. n. 32.* Si tamen ex re accepta facta ditior, aut eam adhuc habet, debitorem denuo nequit convenire, sed exceptione doli mali submovetur. Muller. citatis Loter. Carpz. qui tamen quòd ad hæc excipit mulieres illustres, quæ suos consiliarios habent.

Quæst. 524. Quinam nomine alieno solutionem recipere possint.

1. Resp. Omnes, qui ex legis dispositione vel ex mandato à creditore accepto eundem representant. Ac primò quidem tutores & curatores pro suis pupillis & minoribus debita recipiunt, & quidem absque horum interventu. *l. 49. l. 46. §. 5. & fin. ff. de administ. tutor.* Lauterb. *§. 9. juncto §. 15.* sed neque ad talem solutionem requiri decretum aut promissionem Judicis; neque etiam competere restitutionem in integrum contra talem solutionem tenet Carpz. *l. 5. resp. 65. n. 9. & seq.* contrarium quòd ad utrumque tenente & probante Lauterb. per textum. *l. 1. c. si advers. solut. & §. 2. Inst. quib. alien. lic.* Excipitur tamen hic maritus; etiam enim sub ejus perpetua curatela sit uxor, tamen ei rectè non solvitur, quòd uxori debetur, ne exinde facile ad paupertatè redigatur uxor. Muller. *cit. th. 71. lit. n.*

2. Secundò procuratores, sive mandatum speciale ad hoc, sive generale habentes juxta *l. 12. pr. ff. h. t. juncto l. 34. §. 3. ff. eod.* Et quidem si sit procurator in rem suam, sive cessionarius, indistinctè recipere potest, & debitorem liberare. Muller. Lauterb. *ll. cit. arg. l. 25. in fine ff. de procurat. ita etiam, ut si ille cum principali creditore concurrat, huic sit præferendus. l. 55. ff. de procurat.* Muller. *l. c.* cum is loco domini habeatur. *L. 13. ff. de pact. adeoque debitor, quamprimùm ei denunciatum est, cessionem hanc factam esse procuratori, huic, & non principali solvere debet. L. 3. c. de novat.* Lauterb. *§. 9.* Secus est de procuratore constituto in rem alienam; hic enim habere debet mandatum speciale ad hoc, nimirum ad recipiendam solutionem, ita ut non sufficiat habere speciale mandatum ad aliud quid. *cit. l. 12. sufficere tamen ad hoc mandato speciali tacito. v. g. de vendendo.* Lauterb. *cit. §. 9.* Muller. *l. c. th. 72. lit. a.* Brunem. *ad l. 34. ff. h. t. n. 6.* & alii. Et tale mandatum, cum non præsumatur, per scripturas probandum docent apud eundem. Valq. *l. 2. ff. de q. c. 16. n. 10.* Salgad. *in l. byr. creditor. p. 1. c. 26. n. 27. & seq. & alii.* Vel habere debet mandatum generale seu constitutus esse debet ad omnia negotia, (secus est de constituto solum ad lites; quia actionis exercendæ & solutionis recipiendæ diversa est potestas. Muller. *l. c.* Lauterb. *§. 10.* cum communi juxta *l. 13. ff. de pact.*) cum is, qui omnibus negotiis aliquem præposuit, intelligatur etiam mandare creditoribus suis, ut huic procuratori solvant. *L. 34. §. 3. ff. h. t.* Porro solvens falso procuratori vel mandatario non habenti ad hoc mandatum, non liberatur, etsi putaverit esse verum procuratorem, seu habere mandatum; nisi probabilem habuerit causam opinandi esse verum procuratorem cum culpa creditoris conjunctam. V. g. quia se publicè gessit pro mandatario, idque sciverit creditor & non prohibuit. *L. 18. ff. mandati.* Muller. *l. c.* cum Meviop. *§. decis. 174.* Unde etiam, si creditor privavit procuratorem officio suo, vel ne solutionem recipiat, specialiter prohibuit, (idem est, si mandatum speciale ad hoc datum mandans revocavit) & debitor id ignorans seu ante denunciationem desuper sibi factam solvat, liberabitur; quia censetur esse in bona fide; secus, si id scivit. Muller. *l. c.* cum Carol. de Grass. *tr. de except. c. 25. n. 53.* Salgad. *l. c. à n. 36.* juxta expressos textus *l. 12. §. 2. & l. 34. §. 3. ff. h. t.* Idem, quòd dictum hinc de procuratore, dicendum de negotiorum gestore creditoris, ita ut licet hic id ratum non habuerit, liberetur debitor, & creditor doli mali exceptione repellatur. *L. 6. ff. de doli mal. except.* Bachov. *ad Treul. vol. 2. d. 29. th. 3. lit. d.* Lauterb. *§. 11.*

3. Tertio servi & famuli domestici, actores, dispenfatores, similesque pecunias dandis, exigendis, recipiendis prapofiti. *L. 32. 49. § 1. ff. h. t. l. 4. § 19. c. 04. Reiffenst. h. t. n. 29. idem de filiofamilias dicens. Lauterb. cit. § 9. Muller. cit. th. 72. lit. n. quamvis hic, dum *lit. a. & lit. n.* cum Donall. de filiofamilias recipiente, quod patri debetur, id neget, etli aliàs ob conjunctionem personæ agere possit pro patre, subintel ligere videatur: sine mandato patris, vel citra talem specialem deputacionem. Modò tamen dictis personis fraudulenter non solvatur; quod tunc maxime procedere dicit Muller. *cit. lit. n.* si causa intervenerit, ex qua intelligi queat, dominum nolle, ut iis solvatur. De cætero nulla facta distinctione, an vivo, an mortuo domino à debitore mortem ignorante iis solutum sit. Ut & liberari debitorem dicit, si solum manumisso vel alienato, dum id ignoravit debitor juxta *L. 1. ff. de positi. l. 18. ff. h. t.* Notandum hic ex Castrop. *tr. 32. d. 1. p. 18. § 11. n. 1.* quòd, si debitum in specie determinatum tradatur à debitore alteri ab his personis, viro tamen timorato, de quo nulla potest esse suspicio, non fore deferendum vero creditori, debitorem in conscientia satisfecisse, ita ut, si res pereat, non debitori, sed creditori pereat. Arg. *l. Argentum. ff. commodati. l. eum qui. §. ult. eod. l. apud Labionem. §. fin. ff. de præscrip. verb.* Item si famulo suo vel creditoris, quem notum habet fidelem, & ipse præter opinionem aufugiat, debitor non teneatur æstimationem rei illius solvere; quia nec levissimam culpam commisit. Pro quo citat Gomef. *l. 2. var. resol. c. 7. n. 3. Molin. d. 296 & 563.* quæ tamen *n. 2.* intelligenda dicit Castrop. de debitis, quæ sunt ex contractu licito. Si enim debitum sit ex furto aliòve iniquo contractu, non liberari debitorem, tradendo illud tali suo vel creditoris famulo non habenti à creditore speciale mandatum; quia ratione iniquæ acceptationis tenetur debitor totum debitum rescire, quod patitur dominus, aliàs re sua non privandus, & qui non tenetur missionem illam habere ratam. Excipiendo tamen Confessarium aliumve vitum similem, dum debitor moralem impotentiam habet alià viâ satisfaciendi. De cætero idem, quod de debito determinato ex contractu iniquo dicit; *n. 3.* dicit de debito indeterminato ex contractu licito citatis iisdem Gomef. & Molin. nimirum non liberari debitorem tradendo id tali famulo sine mandato creditoris eidem deferendum.*

4. Quarto creditori creditoris sui rectè solvit debitum, ita ut exinde ei detur exceptio doli. *Stru. l. c. th. 72. lit. ß. Muller. ibid. Lauterb. cit. §. 11. cum creditor creditoris ex dispositione juris pro creditore habeatur. l. 11. §. 5. ff. de pignorat. act.* idq; etiã absque mandato creditoris, ut *Stru.* adeoque liberatur debitor, (sive id fiat ipso jure, sive ope exceptionis, parum interesse ait Muller. cum idem sit solutionis effectus; quod tamen apud eundem distinguit *Zoëf. h. t. n. 14. § 15.*) etiã citra consensum creditoris, nullaque subsecuta rati habitatione illius, (vi cuius aliàs solutio facta alicui tertio non habenti mandatum legitimum; quia illa effectum mandati operatur. *l. 12. c. h. t.*) Muller. *cit. l. ß.* Quòd si tamen debitor solverit creditori creditoris, hoc invito & contradicente, eum non liberari, juxta communiorum & veriorum sententiam cum *Bachov. l. c.* ait Muller. *l. c.* idque præcipuè ubi contra creditorem suum exceptionem aliquam habet. Porò licet hæc locum habeant, libereturque debitor pro foro conscientia, ut *Castrop. l. c. §. 10. n. 2.* citatis *Pet. Nav. de res. l. 4. c. 2. n. 20. Lessl. l. 2. c. 16. n. 60. Laym. l. 3. tr. 2. §. 5. c. 9. n. 80.* sub hac tamen limitatione: si debita sint ejusdem rationis, ut dum v. g.

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

debeo Titio creditori meo centum aureos, & is totidem aureos debet fratri meo, liberor à solvendo Titio; sitque hic modus solvendi licitus; quia nulla fit creditori meo injuria; quin potius utiliter ejus negotium gero, dum præsto, quod ille præstare debebat creditori suo, & fortè non ita promptè poterat, simulq; succuro fratri meo, ut is debitum suum consequatur. Non tamen hæc locum habent, seu modus solvendi creditori creditoris non extinguit debitum, dum debita sint diversæ rationis; dum v. g. debitum meum consistit in pecunia, debitum verò, quo creditor meus obligatur creditori suo, consistit in vino aliave re usu consumptibili, non possum eo invito debitum meum solvere creditori illius; non enim tenetur creditor meus in extinctionem debiti, quo ipsi obligabar, talem solutionem à me factam creditori suo acceptare. Ita *Castrop. cit. n. 2. juncto n. 6.* qui etiam *n. 7.* addit, quòd, si creditor creditoris mei non possit facile ab eo impetrare solutionem; qui fortè non habet sufficientes rationes, quibus eum in judicio ad hoc compellere possit; vel quia ex propriis plus insumpturus esset, quàm debitum æstimeretur, probabile esse me posse ex caritate, quam quisque erga proximum habere tenetur, ei succurrere solvendo seu tradendo ei debitum, quo meo creditori obstrictus sum, ut ex ipso sibi satisfacere possit.

5. Quinto adjuncto seu adjecto solutionis gratiã (qualis dicitur, dum quis alternativè sibi aut alteri dari seu solvi stipulatur. V. g. his verbis: mihi aut Titio spondes: Muller. *cit. th. 72. lit. n.*) rectè solvitur, etiam creditore, qui adjecit, ignorante vel invito; cum jus solvendi adjecto semel quæsitum p̄missori eo invito per creditorem ei auferri nequeat. *Lauterb. §. 9. Stru. l. c. & ibid. Muller. idque, ut Lauterb. sive adjectus sit servus, minor, juxta l. 9. § 11. ff. h. t.* modò adjectus in eodem statu permaneat, ut idem juxta *l. 38. ff. h. t.* aliã requisita ad hoc, ut adjecto solvi queat, vide apud Muller.

6. Denique rectè solvitur cum effectu liberationis debitoris petenti illud & exigenti Judici seu superiori, cui resistere non potest & vitare solutionem debitor. *Bald. in l. creditor. c. de furtis. cons. 25. Afflicti. decis. 150. Menoch. centur. 2. de arb. cas. 137.* quos citat & sequitur *Castrop. l. c. §. 12.* & excusant debitorem imperio Judicis juxta *L.* non videtur. *§. iustum. ff. de reg. jur. l. furti. §. qui iustu. ff. de bis, qui notant infam. Gl. in l. au. prætor. §. præmittitur. v. imputandus. ff. de minor. Menochi. l. c. Gutt. l. c. præf. 99. q. 81. n. 1.* Secus est, si debitor valuit contradicere. v. g. debitum negando, appellando. Unde etiam, ut securus sit, debet protestari, se non esse obligatum, non spontè, sed coactè solvere, ut *Castrop. l. c. n. 3.* cum *Gutt. l. c. n. 14.* *Menoch. l. c. n. 14. in fine.* uti etiam secus est, seu non liberatur debitor, si coactus non à superiore, sed à privato, eidem solvat; cum eam exactiõnem facile edidere possit, deferendo illum ad judicem. *Menoch. l. c. n. 28.* neque excusatur, etli actiones, quas habet in exactorem, creditori cedat, ut *Idem n. 29.*

Quæst. 525. Debita incerta quibus solvenda.

Resp. Debita incerta, id est, quæ quidem sciuntur ad aliquè pertinere, eorum tamen dominus seu creditor ignoratur, vel coveniri nequit; quia ita abest ut impossibile sit ea ad illu transmitti, si ex justo contractu possideantur, tametsi juxta probabilè, ut censet *Lessl. l. 2. c. 14. n. 38.* & quam tenent *Pet. Nav. l. 4. c. 2. n. 46. Laym. l. 3. tr. 2. c. 9. n. 1.* (exemplificans hoc in eo, qui à mercatore per errorem accepit duas ulnas panni pro una, & postmodum ignorat, gratis